

Hilduin von St. Denis, 1. Hälfte 9. Jh. (Zeit Ludwigs des Frommen)

übersetzt Dionysios Aeropagita aus dem Griechischen

haec quae ab aliena lingua expressimus, in tenoris serie, sicut de praelo sunt eliquata, texemus; quae licet in interpretatione non redoleant supparem sermonis odorem, sapidum tamen referunt veritatis et intellectus sui saporem.

Johannes Scotus, Mitte 9.Jh. (Zeit Karls des Kahlen)

übersetzt ebenfalls Dionysios Aeropagita aus dem Griechischen

... ad purissimos copiosissimosque Graium latices recurrere, haustumque inde sumere ...

opus valde, ut opinamur, anfractuosum, longeque a modernis sensibus remotum, multis invium, paucis apertum, non solum propter antiquitatem, verum etiam caelestium altitudinem mysteriorum.

Si quis autem nimis tardae aut nimis inusitatae redarguerit elocutionis, attendat, non me tantum, sed et se ipsum nihil posse plus accipere, quam quod ipse distribuit, qui dividit singulis propria, prout vult. Sin vero obscuram minusque apertam praedictae interpretationis seriem judicaverit, videat, me interpretem hujus operis esse, non expositorem. Ubi valde pertimesco, ne forte culpam fidi interpretis incurram. At si aut superflua quaedam superadjecta esse, aut de integritate graecae constructionis quaedam deesse arbitratus fuerit, recurrat ad codicem graecum, unde ego interpretatus sum; ibi fortassis inveniet, itane est necne.

Anastasius Bibliothecarius (9.Jh.)

in einem Brief an Karl den Kahlen, zur Übersetzung des Johannes Scotus:

„... arrepto interpretandi certamine, Latino eloquio tradidi, quantum potui, auxiliante Deo, et si non ex toto verbum e verbo, sensum tamen penitus hauriens. ... quomodo vir ille barbarus (qui in finibus mundi positus, quanto ab hominibus conversatione, tanto credi potuit alterius linguae dictione, longinquus) talia intellectu capere in aliamque linguam transferre valuerit. ... tanto studio verbum de verbo elicere procuravit, quod genus interpretationis (licet et ipse plerumque sequar) quantum illustres interpretes vident, tua profecto solers experientia non ignorat. Unde factum est ut tantum virum, qui ..., intra cuiusdam labyrinthi difficilia irretiret, et in antris profundioribus invisibiliorem quodam modo collocaret; ... et quem interpretaturus susceperat, adhuc redderet interpretandum.

Anastasius Bibliothecarius zu einer eigenen Übersetzung einer Synode:

Interpretans igitur hanc sanctam synodum, verbum e verbo, quantum idioma Latinum permisit, excerpsi; nonnunquam vero manente sensu, constructionem Graecam in Latinam necessario commutavi. Rara praeterea interpreti doctiori enucleanda servavi; quaedam etiam ... scholiis in marginibus codicis exaratis adnotavi, vel etiam, sicut mihi visum est, explanavi.